

ditati sunt inania; exposuerunt Apostoli Act. 4 per gentes, gentiles, & per populos, Iudeos intelligentes.

II. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.

Ratio laudandi Deum est, quoniam misericordia Domini stabilita est per aduentum Messiae super gentes, & super Iudeos. Fundata enim est Ecclesia, aduersus quam portæ inferi non præualebunt, & constitutum est Regnum, cuius non erit finis. Nec solū misericordia confirmata est, sed etiam veritas promissionum adimpta, in æternū amplius non mutabitur.

## PSALMVS CXVII.

## Titulus, &amp; Argumentum.

Alleluia.

**P**Salms hic de Davide exponi potest ad literam, ut facit Sanctus Iohannes Chrysostomus; tamen conuenit etiam toti populo Christiano, cuius figuram David gerebat; & hanc expositionem persequitur S. Augustinus. Canit autem tum David, tum populus Dei, multa beneficia Dei, sed illud potissimum, quo Christum Lapidem angularem extulit in summum adficium, ut duos parietes conniceret, & contineret. quod factum est in die Resurrectionis. & ideo Eccl. si canit hunc Psalmum in Dominica die ad Primam: & verba illa ex hoc Psalmo. Hac dies, quam fecit Dominus, exultemus, & latemur in ea. Resurrectioni applicat, & per octauam Pascha frequentissime cum iubilo canit.

## EXPLICAT. PSAL. CXVII.

I. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculū misericordia eius.

Inuitat Dauid omnes ad laudandum Deum. & rationem reddit, quoniam bonus. nihil breuius, nihil grandius dici pos-

tuit; nam solus Deus propriè, & simpliciter bonus est, & nihil iure laudari potest, nisi bonum. addit, Quoniam in seculū misericordia eius, ut ostendat ab effectu, Deum esse bonum, ac per hoc etiam laudabilem. Nam bonitas Dei, nulla in re magis cognosci potest à misericordia, quam in misericordia. Misericordia enim nos creavit, misericordia redemit, misericordia protegit, misericordia coronabit. ita usque in seculum misericordia eius.

Dicat nunc Israël quoniam bonus, II. quoniam in seculū misericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron, quoniam III. in seculū misericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum, IV. quoniam in seculū misericordia eius.

Explicatur, qui sint, quos inuitauerat ad laudandum Deum, & nominat primo loco Israelem, i. populum Israeliticum, quoniam inde fuerunt omnes Apostoli, qui primi crediderunt, & Ecclesiam inchoarunt. Secundo nominat domum Aaron, quia post Apostolos magna turba sacerdotum obedire coepit fidet, ut dicitur Act. 6. denique addit, omnes, qui timent Dominum, quales fuerunt omnes gentiles, qui crediderunt, & Ecclesiam iam inchoatae se adiuxerunt. Itaque totam Ecclesiam ex Iudeis, & gentibus collectam inuitat ad laudandum Deum.

De tribulatione inuocavi Dominum, V. & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Incipit declarare materiam laudis diuinæ. quod in angustia potitus cum esset, inuocauit Dominum, & Dominus continuo exaudiens, posuit illum in latitudinem; opponit enim pulcherrimè angustias latitudini. Ego, inquit, de tribulatione inuocavi Dominum, id est, cum essem in tribulacione, sive in angustia, ut sonat vox hebraica, inuocavi Dominum, id est, non merita mea iustaui, non conquestus sum, quod iniuste-

Qqqq 3 pate-